

Gravitas sit causa effectiva. ergo eodem modo ignis non calefacit effectivè digitum quod motus in potentie secundum. S. T. fluunt effectus ab ipsa forma sed inanimatis sunt potentie. ergo aliquid producant in se effectivè. Item primo philosophi. t. c. lxxxv. dicitur quod gravitas et levitas sunt forme contrarie et activè. Et si dicatur secundo de generatione dicitur oppositum dicitur quod diversimode philosophus loquitur de actione. sed quicquid sit caliditas est activa ergo calidum potest calefacere se sicut aliud quia calor indifferenter agit in quodcumque passum capax caloris.

Decimo causa in actu et effectus in actu sunt simul sed generans non est simul in actu semper cum eo quod movetur unde quando per ignem corrumpitur bos et generatur cadaver mirum videtur quod illud cadaver moveatur deorsum ab ipso igne. Item lapis effectivè aliquando frangit trabem et movet illud quod est sibi alligatum et unum grave movetur velocius alio ergo grave non tantum movetur effectivè a generante / sed a se et sic tenet petrus de alvernia predicato: r. s. t. primo celi lec. xviii. dicit quod licet grave in principio movetur a generante non tamen postea / quod movens per se proximum est simul.

Undecimo arguitur auctoritate. s. t. de po. q. v. ar. v. quod motus celi non est hoc modo naturalis celesti corpori sicut motus elementaris corporis est sibi naturalis qui habet in mobili principium materiale formale et activum. Motus autem celi dicitur naturalis a principio passivo tamen. Item habetur li. iiii. contra gen. in ultimo capitulo licet in secundo sententia. dist. xiiii. ar. iij. et in isto. viij. aliter videatur dicere.

Duodecimo arguitur quod animata non moventur a seipsis quia anima movetur ab appetibili ut patet i. iij. de anima et ar. precedente. Item tunc idem esset in actu et in potentia quia movet secundum quod est in actu et eodem modo probaretur quod voluntas non movet se ad suum actum et quod anima non producit effectivè suas potentias quod alias aliquid moveretur a seipso.

Ad primum dicendum quod hec disputatio videtur esse partim ad nomen unde dicitur quod grave inanimatum habet principium activum instrumentale sui motus sed non principale et causa est quia inanimatum non potest formare formam suam que sit principium motus animata vero excogitant per intellectum vel sensum aliquid ratione cuius moventur ad diversa loca. Sed tunc queritur de animatis anima vegetativa tantum que movent se motu augmenti. Alij dicunt quod inanimata non moventur a seipsis quia licet motus eorum sita forma eorum tamen forma eorum non per se subsistit / et ideo non dicitur proprie moveri. Sed contra forma equi non per se subsistit et nichilominus equus dicitur moveri a se. S. T. in opusculo. dicit gravitate aliquid dici principium motus in quantum scilicet est instrumentum principalis moventis aliquando vero passivum quod scilicet est effectus generantis et deve. q. xxiii. ar. j. dicit quod gravia moventur seipsis sed non a seipsis. Quidam dicunt sub alijs rebis quod grave habet principium sub activum non autem activum scilicet principale. Ut gravitas consideratur dupliciter. Uno modo ut refertur ad generans cuius est participatio quedam et sic efficit motum. Alio modo secundum se. Et sic non efficit ipsum. Tunc dicitur ad argumentum quod grave genitum a celo movetur ab ipso secundum proportionem moventis instrumentalis. Et per hoc patet ad aliud. Et si dicatur quare aliquando magis movet mobile genitum ad unam partem quam ad aliam. Et quomodo diversa mobilia movet ad diversa loca. Dicendum quod celum est mo-

uens equivoicum et secundum diversas virtutes quod imprimi diversimode movet.

Ad secundum satis patet ex dictis quod ibi non est talis expulsio sed impressio virtutis a generante.

Ad tertium patet quod non procedit ad intellectum.

Et similiter ad quartum et supra reprobatum est ille modus de motu ferri ad magnetem. **S**imiliter patet ad quintum.

Et ad sextum difficultas est quando aliquid generatur per accidens an moveatur ab illo generante per accidens. Et dicendum est quod sic vel recurrendum est ad generans per se. Et licet generans illud forte non sit tamen sua virtus est. Ad aliud dicitur quod in principio motus movens et motum sunt simul vel hoc intelligitur quando aliquid movetur de potentia essentiali id est quando generatur. Sed de hoc in septimo dictum est.

Ad septimum dicendum est de aqua sicut de gravi. Ita quod alterans quod est ipsum generans aquam sed alterans quo est forma eius. Et si dicatur ponamus quod illud generans sit luna quomodo ergo ipsa potest frigefacere aquam in tanta distantia plusquam alias res supponendo quod aer medius sit calidus. Dicendum quod hoc est propter alterans quo. Et si dicatur quod alij propter hoc dicunt aquam seipsam frigefacere dicendum quod disputant de nomine. Et per hoc patet ad octavum.

Ad nonum patet per idem. Et magis patebit in secundo de anima. Potentie enim non sunt a forma per transmutationem sed simplicem emanationem.

Ad decimum dicitur sicut de generatione hominis qui non proprie generatur a semine sed ab alio homine per semetipsum et patre mortuo dicitur quod generans est in actu secundum suam virtutem. Deinde dicitur quod grave frangit trabem instrumentaliter. Generans autem principaliter. Et ita etiam grave secum movet leve alligatum. Si dicatur si generans sit causa ergo fortes occideret platonem supposito quod cadaver productum per occisionem fortis post tres annos cadat supra platonem. Forte quod fortes non per se produxit illud cadaver sed queritur a quo movetur animal quando movetur naturaliter deorsum videtur quod a generante unde. S. T. dicit quod motus cordis est a generante. Deinde dicitur quod unum grave movetur velocius propter movens instrumentale. Ad alia satis patet ex dictis.

Ad duodecimum tamen dicitur quod animal movetur ab extrinseco tanquam a movente remoto quod est appetibile. Et ad alia dicitur postea. Non enim inconvenit quod idem secundum diversa sit in actu et in potentia unde a quibusdam dicitur quod voluntas ad primum volitum movetur a solo deo et non a se. Facta autem sic in actu movet se ad aliam volitionem. Sed hoc videtur difficile ad hoc enim quod aliquid sit volitio vel actus voluntatis. Oportet voluntatem concurrere alias non esset actus eius. Item aliquando prima volitio est mala ut si quis primo apprehendat divitias tanquam summum bonum et eas sic velit. Si dicatur si voluntas causet effectivè suum primum actum ergo idem est in actu et in potentia sicut idem / quod nihil movet nisi secundum quod est in actu movetur autem ut est in potentia et in isto fundatur ratio philosophi. ad probandum unum ens immobile. Sed de his in secundo de anima ubi inquiretur a quo movetur voluntas si enim moveat se videtur quod relationes opposite sunt in eodem scilicet movens et motum immo eiusdem ad seipsum esset relatio realis scilicet actio quod autem primum sit inconveniens patet quod esse relativi est ad aliud se habere.